



Prot. N. 02596/2024-105/24/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi a Summo Pontifice Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Archiepiscopo Timotheo Paulo Andrea Broglio, Conferentiae Episcoporum Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis Praeside, occasione Quarti Mundialis Avorum et Senum Diei, quarta die Dominica mensis Iulii a Summo Pontifice iam instituti sed a praefata Conferentia Episcopali, pro Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis, in primam diem Dominicam translati post primam mensis Septembris Feriam II, quae v. "Labor Day" nuncupata est, sub proposito "In tempore senectutis ne derelinquas me" (cfr. Ps 71,9) vertente anno peragendi, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) ab avis, senibus omnibusque christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis die VIII Septembris MMXXIV lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint si, occasione Quarti Mundialis Avorum et Senum Diei, varias participaverint functiones quae in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis peragentur.

Hoc Misericordiae Tribunal insuper plenariam concedit Indulgentiam a fidelibus ipso die lucrandam si, congruo tempore destinato, senes inviserint fratres qui in necessitatibus difficultatibusve versantur (ut aegroti, deserti, inhabiles...).

Infirmi senes necnon eos curantes omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si sacris functionibus Mundialis Diei se spiritualiter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes, opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro Quarto Mundiali Avorum et Senum Die in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XIX mensis Augusti, anno Dominicae Incarnationis MMXXIV.

*De mandato Eminentissimi
+ Christophorus Iosephus Nykiel
Episcopus t. b. Veliensis, Legatus*

*Andreas Regan
Officialis*